

fibras musculorum complectitur : hæc significatio obtinet in dictis, *Gen. II, v. 21. Gen. IX. v. 4.* Dein designat corporis structuram, quatenus animæ opponitur : ut *Levit. XXII. v. 6.*

XXII. Ad hæc legitur in ea significatione, quâ totum compositum, ex corpore & anima constans, denotat: ceu evolventi loca, *Matth. XXIV. v. 22. Rom. III. v. 20.* & alia, patebit. Insuper Paulus in epistola *ad. Rom. IX. v. 5.* aliam huic vocabulo tribuit significationem, videlicet eam, quâ denotat humanam Christi naturam. Quandoque vocabulum caro jungitur vocabulo sanguinis, & tunc designat ipsum hominem, ut *Gal. I. v. 16.* Denique opponitur caro in sacro codice spiritui, ac tunc denotat naturam peccati originalis vitio corruptam, laborantemque reluctantiâ pravorum affectuum, contra rectæ rationis dictamen, & Spiritus sancti suggestionis, quibus ipsa, oppressis carnalibus cupiditatibus, sæpè indulget.

XXIII. Quando autem Paulus de se & de renatis enuntiat, eos habere carnem, designatur voce carnis eam affectuum & voluntatis rebellio & contumacia, contra rectam rationem, & Spiritum Sanctum ad optima quæquæ ducentem, non quæ Spiritum sibi subjicit, verum quam potius Spiritus subjugat: adeò, ut licet renati carnis stimulos subinde sentiant, non tamen iis victas dent manus, sed Spiritus sancti inhabitantis gratiâ adjuti, illis jugum imponant, *ne dominium exercent in corpore mortali* : ut Paulus dixerit, *Rom. VI. v. 12.*

XXIV. Considerato igitur hujus pugnæ uno adversario, progredimur ad alterum, qui Apostolo Spiritus dicitur. Accipitur autem & hoc vocabulum in sacris literis multis modis: vel enim sumitur ἑσσιωδῶς pro tribus unius essentiæ divinæ personis, ut *Ioh. IV. v. 24.* vel ὑποστατικῶς,